DE INTERIORIS HOMINIS REFORMATIONE ORATIO, IN QUA VERA...

Cornelis Jansen, Valenti Gonzaga, Etienne Baluze

Digitized by Google

De interioris hominis REFORMATIONE ORATIO.

Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. 1. Ioannis 2.

ITA naturâ vel diuinâ Prouidentiâ comparatum eſt, vt omnia quæ legibus earum ſubiacent, vel limitibus continentur, ad ſuam quæque originem indefatigabili impetu reuertantur. Quò fit, vt quicquid è terra naſcitur, in terram recidat vnde ſumptum eſt: quicquid conflatur ex ele-

mentis, in eadem elementa
Eccl. 1. diſſiliat. Nempè *Omnia flumina intrant in mare*, vnde prodierunt. Quæ creaturarum omnium quaſi lex ita ſtabili ordine conſtituta eſt, vt etiam ipſæ rerum corruptiones, quibus naturæ naturarum finibus excidunt, ipſius quædam lineamenta ſibi impreſſa cuſtodiant. Quid enim ſibi vult aliud immane pondus illud, quo in interitum, adeóque in abyſſum ipſius nihil vergit ac properat vniuerſa creatura, niſi verbum quod portat omnia ſupponat manum, quid, inquam, aliud, niſi quòd intelligentibus quodam naturæ nutu rerum omnium creatarum prodat originem? Hinc etenim factum eſt, vt neque

Angelica, neque humana creatura, in quo fuerat faſtigio conſtituta permanſerit, ſed quaſi in peregrinam ducta regionem, Deo relicto, tanquam in ſolum patrium in inferiora corruerit, etiam in ipſum nihil vlterius prolapſura, niſi beneficentiâ potentiore retraheretur. Vt minimè mirum videri debeat, ſi nullum Reip. ſtatum ita firmiter rectèque conſtitutum eſſe videamus, cuius non ipſâ temporum viciſſitudine marceſcat vigor; nullam religioſi Ordinis diſciplinam tam accuratis legibus eſſe ſancitam, aut vſu tritam, aut obſeruatione roboratam, vt non langueſcentibus animis primùm ſaluberrima eius ſoluatur auſteritas, deinde

gliſcente paulatim in deteriùs conſuetudine, in primam hominum confuſionem ruat. Nam quemadmodum arbores magnâ vi manibus in aduerſum tractæ, ſimulátque dimittuntur, maiore violentiâ in naturam ſuam reſiliunt; ita è contrario humana natura, ex quo per peccatum vitiata atque curuata eſt, non niſi extremâ vi in ſuam rectitudinem erigitur, dimiſſa verò atque neglecta velut ſuopte pondere in ſuas originales corruptelas præcipitatur. Quam legem tam profundè rerum creatarum viſceribus inſcriptam eſſe nemo mirabitur, ſi animaduerterit etiam in ipſius Creatoris opere, quo fugitiuas lapſáſque creaturas

moderatur, non obſcura eius veſtigia relucere. Quid enim in eius operibus magnificentiùs atque ſplendidiùs, quàm quod hominem imaginem ſuam, ſicut illinc in nihilum ſuum, vnde emicuerat, peccato propellebatur, ita hinc viciſſim in auctorem ac fontem ſuum, vnde quicquid in illo erat boni fluxerat, reuocauit? Satius nimirum exſtimauit, vas quod de manu figuli lapſum diſſiluerat, primæuæ originis atque imaginis, quam ei condendo contulerat, renouatione refingere, quam vel fractum ſpernere, vel omnium fragmentorum abolitione comminiſci nouum. Quibus æternæ Sapientiæ veſtigiis admoniti magni viri non minùs olim

quàm nunc præclaram operam ſe nauaturos meritò arbitrati ſunt, ſi vetuſtiſſimæ celeberrimæque Religionis fœdatam faciem ad primæuum ſuum ſplendorem potiùs ac pulchritudinem reuocarent, quàm noua excogitatáque lineamenta & colores inducerent. Vbi enim vetuſtas cæleſti eſt ſancita prudentiâ, longo ſæculorum vſu probata, feliciſſimo rerum ſucceſſu comprobata, ibi omnis nouitas ſolâ prærogatiuâ antiquitatis excluditur. Vt ſatis mirari nequeam quorundam hominum ſenſum, qui ſiue nimio rerum ſuarum ſtudio, ſiue alienarum faſtidio, ſiue neſcio quâ meticuloſâ futurorum trepidatione, tam ſanctis conati-

bus ſoli obtrectare malunt, quam ſuffragantium laudibus conſentire. Nempè & iuſtitia olim reprehenſorem inuenit, & caluities laudatorem. Quibus perſuadendis operoſiùs fortaſſis incumberem ipſius tam glorioſi propoſiti vberiore commendatione, niſi vererer, vt in ſimili causâ dixit Auguſtinus, *ne iudicare videar, per ſeipſum tantummodò expoſitum* ſuaptè pulchritudine apud æquos iudices *placere non poſſe, ſi cothurnum etiam laudatoris addendum putauero.* De moribus Eccleſ. c. 31.

Sed vt præcipuis veſtris conatibus, quibus in cælum tenditis, aliquid ſubſidij afferam, pauca pro meâ infirmitâte & imperitiâ non tam de

Monaſticæ diſciplinæ commendatione, vel reformatione, quam de humani animi inueteratione ac renouatione dicam, vbi omnis Monaſticæ diſciplinę eſt fructus, vt quo ordine in vetuſtatem lapſus ſit, quoque maximè compendio in ſuam originem pulchritudinémque reuocetur, paulò accuratiùs poſſit intelligi. Quâ in re, quantùm Deus dabit, veſtigiis illius, atque adeò plerúmque verbis hic illic ſparſis inſiſtam, qui latebroſos anfractus humani cordis, omniúmque fibras affectionum profundiſſimè penetrauit, magni Auguſtini, inquam; vt ſub tanti doctoris auctoritate abſit mihi aſſerendi temeritas, adſit vobis

aſſentiendi, &, ſi libet, imitandi ſecuritas.

Cùm Deo Opt. Max. ex illo indeficienti beneficentiæ fonte placuiſſet terrenum quidem animal, ſed cælo dignum condere ſi ſuo cohæreret auctori, immortalem animum corpori ſimiliter non morituro, niſi ipſe vellet, inſeruit. Atque animo quidem intelligentiam liberámque voluntatem dedit, ita condens naturam vt largiretur & gratiam, quâ purgatiſſimo mentis oculo incommutabili veritate frueretur, rectiſſimâque voluntate auctorem ſuum ſtringeret, & amore complecteretur. Quid illo in Creaturis excelſius, qui primo rerum Principio inhærendo, in æternita-

tem incomprehenſibilis illius lucis ſubuehebatur? quid illo intelligentiùs, qui luce æternitatis illius perfundebatur? Hinc in animo ineffabilis de tanto bono delectatio, in corpore immortalitatis vigor, quo ſine vllâ prorſus reſiſtentiâ, pacatiſſimâ tranquillitate Deum animo, animum corpore ſequeretur. Non aberat quicquam, quod bona voluntas adipiſceretur; non inerat quicquam, quod carnem animúmque hominis feliciter viuentis offenderet. Sed quia nondum erat illâ extremâ ſtabilitate firmatus, qua ſeipſum præ charitate diuinæ illius ſapientiæ obliuiſceretur, vel etiam penitus ejus comparatione contemneret, ſibi

ipſi quodammodò in mentem venit, ſibique quaſi obuiàm factus eſt, & pulchritudine ſuâ captus ſibi placuit, ſibíque placendo & in ſe manendo defecit. Non enim, vt oportuerat, riuulum ſuum quo delectabatur, in ſuum fontem refudit; ſed ſibi inhærendo ſuus eſſe voluit & propriæ poteſtatis, qui alienâ debebat regi. Peruerſa autem celſitudo eſt, deſerto eo cui animus debet inhærere principio, ſibi fieri quodammodò atque eſſe principium, ſibíque eſſe velle viuendi, ſciendi, atque gaudendi caput. Quid eſt autem ſuperbia, niſi peruerſæ huiuſmodi celſitudinis appetitus? quæ tum committitur, cùm ſibi quiſque placendo ab illo bo-

no incommutabili deficit, quod ei magis placere debet quam ipſe ſibi. Ita ergo ſuperbiæ ruinâ in voluntate præcipitatus, continuò tamquam tumore oculos comprimente, etiam mente tenebroſus ac cæcus effectus eſt, vt & illa verum crederet dixiſſe Serpentem, & ille putaret venialiter ſe tranſgreſſorem fore præcepti, ſi vitæ ſuæ ſociam non deſereret etiam in ſocietate peccati. Denique amiſſis felicitatis illius ſpiritualis voluptatibus, infimas & carnales è rebus viliſſimis delectationes
Gen. 3. venatus eſt. *Tulit*, inquit, *de fructu ligni & comedit, dedítque viro ſuo, qui comedit.* Nimirum lapſus homo ab excelſiſſimâ ęternitate, & ab in-

commutabili Sapientiæ veritate, & à feliciſſimâ ſpiritualium deliciarum dulcedine, dum ſibi vult eſſe excellendi, ſciendi, & gaudendi fons atque principium, Superbus, Curioſus, & carnaliter Voluptuoſus, cum omni ſuâ poſteritate effectus eſt. Nam per ipſam boni malíque experientiam continuò in ſe demerſus ſuam ſenſit indigentiam; ideôque tenebroſâ quâdam æmulatione diuinę excellentiæ, ſcientiæ, ac beatitudinis, quas guſtauerat, & quibus mirabili ſuæ naturæ exaltatione, & illuſtratione, & gaudio conglutinatus fuerat, trium immundarum cupiditatum impetu ardentiſſimè nititur contemptæ felicitatis reſarcire iactu-

ram, vt amiſſâ tantorum bonorum veritate infelix animus ſaltem vmbrâ eorum quoquo modo ſuam miſeriam conſoletur. Hi ſunt etenim vulnerati hominis extremi conatus, & quaſi ſemiuiui cadaueris palpitatio, quâ non ſe penitus exſtinctum eſſe teſtatur: hi tres denique fontes ſunt, vnde omnium humanorum flagitiorum, vt conſtantiſſimè, frequentiſſiméque Auguſtinus docet, corruptela promanat. Et ſanè nullum tentationis genus eſt, quo diabolus ſiue ſuperatos proterit, ſiue ſtantes impellit, quod non vno iſtorum generum, ſiue Superbiâ, ſiue Curioſitate, ſiue Carnali voluptate comprehendatur. Etenim quæ ſemel arma tan-

Libr. de vera Relig. c. 38. libr. 3. Confeſ. cap. 8. & alibi.

tâ victoriæ facilitate in primis hominibus expugnandis expertus eſt, illa ipſa ad vniuerſum humanum genus ſuperandum, delendúmque dedicauit. Per illud namque: *In quocumque die comederitis ex eo*, infimarum pruritum voluptatum ipſis medullis inſeruit; per illud: *Aperientur oculi veſtri, ſcientes bonum & malum*, inquietiſſimam curioſitatem inſpirauit, per illud: *Eritis ſicut dij*, occultiſſimum Superbiæ vulnus inflixit. Hinc ipſe Imperator noſter, qui confoſſum tribus vulneribus hominem ſanare venerat, tribus illis telorum generibus oppugnatus eſt, & eorum aciem ſcuto ſuæ veritatis fregit, ne imitatoribus eius arma, quibus victi fue- Gen. 3.

rant, ampliùs tremenda viderentur. In pane voluptas carnis, in tentatione Dei, quâ, num ab Angelis ſuſciperetur, experiri iubebatur, ſciendi, experiendique curioſitas, in promiſſione regnorum omnium ſuperbia propinabatur. Videlicet eodem penitus ordine, quo creaturam anteà præcipitauerat, etiam Creatorem impellere nitebatur. Quibus tentationibus finitis, tamquam exhauſto diaboli armamentario addit Euangeli-

Luc. 4 ſta: *Et conſummatâ omni tentatione diabolus receßit ab eo.* Quod triplex cupiditatis genus diuinitùs breuitérque ab Apoſtolo comprehenſum eſt, dum omne omninò quòd

1. Ioan. 2. in mundo eſt, *concupiſcentiam*

carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ eſſe teſtatur. Quicquid enim flagitiorum corpus humanum animúmque contaminat, quicquid facinorum in hominum ſocietate graſſatur, quiſquis ſagaciter attentéque conſiderarit, his tribus fontibus ſcaturire comperiet, his obſtructis areſcere, & ſuffocari. Quid enim in toto homine niſi corpus & anima, quid in anima niſi intelligentia & voluntas excogitari poteſt? Voluntati Superbia, intelligentiæ Curioſitas, corpori Concupiſcentia carnis impreſſa eſt. Nam diuitiarum cupiditas, quam plerique vel per concupiſcentiam oculorum ſignificatam volunt, vel cuiuſnam alia-

rum ambitu contineatur, liquidò videre non poſſunt, nunquam prima eſt. Ad hoc enim diuitiæ expetuntur, vt alicui iſtarum trium cupiditatum, vel duabus earum, vel omnibus ſeruiant: ſatellites enim ſunt opes, non duces cæterarum cupiditatum. Quò diligentiori ſollicitudine ab omnibus virtutum cultoribus, quibus curæ eſt animi ſui reformatio ac renouatio ad imaginem eius qui creauit eum, incumbi debet, vt harum cupiditatum fallaciâ, effectibus, curationis ordine, ac regulis perſpéctis, ad integritatem, vnde cecidêre, reuerti queant.

Et quidem prima in hoc reformationis itinere occurrit concupiſcentia carnis, cui

coercendæ frænífque temperantiæ moderandæ primùm omnium virtutum ſtudioſus manum apponit. Eſt enim tenebroſis animis ad lucem aſpirantibus notior, & infirmis victu facilior. Quæ carnis dicitur, quia voluptas, in quam inhiando æſtuat, in ipſâ carne perficitur, & quinque ſenſibus eius velut portis admittitur. Lapſus enim ab interioribus gaudiis infelix animus ad exteriora diffunditur, vt vel infimo extremóque ſui corporis ſenſu, ſiue oculis, ſiue auribus, ſiue linguâ, ſiue naribus, ſiue totâ corporis mole fugientem à ſe voluptatem teneat, vel compenſet amiſſam. Hîc totum regnum voluptatis eſt, cui omnis carnalium turba

militat, & ſpiritualium debellando reluctatur. A quâ percipiendâ etiam ſi temperantiæ ſtudio refrænemur, ipſamet anima per tumultuoſa deſideria ſanctis ſuis intentionibus obſtrepit, & ad fruendum rebus in quas exęſtuat, etiam inuita ſubinde & repugnans appetitu quodam voluptatis impellitur. Qui impetus nihil eſt aliud, quàm generalis quædam allubeſcentia, ſeu libido, quâ quoquo modo voluptatem ſentire libet, quam amare non licet. Quæ libido voluptatis prorſus contraria eſt dilectioni ſapientię, & virtutibus inimica, quâcumque tandem ſenſuum feneſtrâ moliatur ingreſſum. In cuius moderatione hæc eſt breuiter Chri-

ſtianæ vitæ tenenda regula, S. Auguſtini auctoritate paſſim ſtabilita, quantumuis à nonnullis vel minùs penetrata, vel etiam improbata, vt quamuis multa fieri poſſint quaſi tranſeundo per voluptatem, nihil tamen inſtinctu libidinis fieri poſſit propter voluptatem. Hîc grauis eſt & moleſta lucta Sanctorum. Nam dum vitæ humanæ neceſſitatibus preſſi ſenſuum corporalium voluptate vtimur, vt per illam tranſeuntes aliquid vtile geramus, ſæpè libidine voluptatis abutimur, vt illi inhærendo propter illam faciamus. Cùm enim ſenſibus corporis officiosè non libidinosè vtendum ſit, vt corpori vitæque, quam gerimus, ad ali-

quid approbandum vel improbandum, ſumendum vel reiiciendum, appetendum vitandúmque conſulamus, adiungit ſe tamquam pediſſequa periculoſa iucunditas, & plerúmque deſiderio quodam inhiante præire nititur, vt eius cauſâ fiat, quod vtilitatis cauſâ facere cogitamus. Non enim eſt idem vtilitatis ac delectationis modus; nam quod vtilitati ſatis, voluptati plerúmque parum eſt. Ita ſæpè iſta libidine nos obnubilante incerti reddimur, vtrùm adhuc vtilitas ſentiendi animi noſtri intentionem ducat, an voluptuaria fallacia cupiditatis abducat. Ad hoc incertum hilareſcit carnalis anima, gaudens non apparere limitem, quem tranſire non

re non licet; vt obtentu deſideratæ vtilitatis obumbret negotium voluptatis. Ita quod cögebatur tranſeundo per voluptatem, quia nullus niſi per illam patebat tranſitus, tandem libidine voluptatis propter voluptatem ſenſiſſe conuincitur. Cuius quidem illuſionis, abſentibus rebus quas concupiſcimus, facilis eſt diſcretio, cauſam ipſam ſagaciter intuentibus nobis, vtrùm officioſa poſtulet, an voluptuoſa blandiatur. Cùm verò adſunt ea, quæ arrident ſenſibus, quis verbis explicet, quomodò fumo cupiditatis oculos obnubilante videre non ſinamur, quid officij neceſſitas, quid libido voluptatis expoſcat? Hinc illa frequens re-

ligioſi animi hæſitatio, cùm diuino cantico audito ad affectum pietatis mouetur, & ſimul fluctuat, vtrum ſenſum potiùs pietas, an ſonum audiendi cupido deſideret. Solo enim concentu ſonorumve ſuauitate aures atque animum paſcere, veraciſſima religionis norma condemnat. Hinc illa quotidiana temperantiæ, concupiſcentiæque diſceptatio, cùm ruinas corporis comedendo reficimus. Quis enim exprimat, quemadmodum neceſſitatis modum, quo ad comedendum, bibendúmque adducti ſumus, inſidiatrix illa nos ſentire non ſinat, ipſúmque ſalutis procurandæ limitem rapiendo nobis abſcondat ac tranſeat putantibus ſatis non

eſſe quod ſatis eſt, dum libenter eius titillationibus ducimur, exiſtimantes nos adhuc agere negotium valetudinis, cùm agamus potiùs cruditatis? Quid enim mali fecerimus, paulò poſt pœnitendo teſtamur. Nimirum neſcit cupiditas, vbi finiatur neceſſitas; verúmque eſſe, quod quidam dixit, experientiâ deprehendimus: Magnam eſſe pœnitendi cum voluptate vicinitatem. Ita quàm dictu breue ac facile eſt, vt multa quaſi tranſeundo per voluptatem faciamus, tam obſeruatu difficile atque arduum, vt nihil voluptatis libidine propter illam faciamus. Quam quidem difficultatem illi maximè ſentiunt, qui voluptatibus,

quas propter rerum tempo-ralium neceſſitates vno ictu precidere vetantur, coërcen-dis, temperandíſque bellum indixêre. Quotus enim eſt quiſque diuitiis omníque re-rum copiâ affluentium, qui cum beato Iob ex diuite fa-ctus repentè pauperrimus, tam inconcuſſum, vt ille, ani-mum teneat & infixum Deo, factóque demonſtret, non il-las ſibi fuiſſe magnas, ſed ſe illis, ſibi autem Deum? Quo animo ſi poſt Euangelium iam promulgatum eſſent ho-mines, non magnoperè ab iſtarum poſſeſſione prohibe-remur, vt perfecti eſſe poſſe-mus. Multò enim mirabiliùs eſt non inhærere iſtis, quam-uis poſſideas, quàm omninò non poſſidere. Hoc etiam in

ſonorum, odorum, colorúmque, hoc in ciborum delicatorum, ipſiúſque carnis illecebris vel omninò præcidendis, vel temperantiâ moderandis, experientiâ extorquente, confitebitur, quiſquis ad apicem perfectionis, quam in voluptatum iſtarum moderatione veritatis incõmutabilis norma præſcribit, ſibi annitendum eſſe conſtituerit. Faciliùs enim eſſe cuiúſque renunciabit conſcientia, prorſus non vti etiam licitis illis voluptatibus, quàm vtendo non ſępè delinquere.

Et iſte quidem eſt primæ illius cæteris turpioris cupiditatis, quam Apoſtolus concupiſcentiam carnis vocat, frænandæ ac relaxandæ modus, quem qui diuinâ miſeri-

cordiâ conſecutus fuerit, ab alterâ quantò honeſtiore, tantò fallaciore belluâ excipietur. Hæc eſt inquietiſſima illa Curioſitas ab inani ſciendi curâ dicta, & ſcientiæ nomine palliata. Quæ ſuum in ipsâ mente cubile collocauit; vbi multiplicium imaginum corrosâ ſupellectile miris ludibriis perturbat animum, & per omnes rimas corporis promicat. Ineſt enim animæ per eoſdem ſenſus corporis quædam non ſe oblectandi in carne, vt anteà, ſed experiendi noſcendíque per carnem vana, & inquieta, & curioſa cupiditas; quæ quoniam in appetitu noſcendi eſt, oculi autem ſunt ad cognoſcendum in
1. Ioan. 2. ſenſibus principes; *Concupi-*

ſcentia oculorum eloquio diuino appellata eſt. Ex his autem euidentiùs diſcernas, quid voluptatis, quid curioſitatis causâ agatur per ſenſus, quòd carnis voluptas ſola iucunda delectabiliâque ſectetur, curioſitas autem etiam his contraria, tentandi, experiendi, noſcendíque gratiâ explorat. Quo cupiditatis morbo eò pleniùs eſt genus humanum, quòd ſub vmbrâ ſeſe ſcientiæ, hoc eſt, ſanitatis inſinuet. Ex hâc enim venâ ſpectaculorum theatralium multifaria cupido profluit. Hinc Circus, hinc Amphitheatrum, hinc Scena, omníſque Tragœdiarum & Comœdiarum vanitas. Hinc ſecretorum naturæ, quæ præter nos operata

eſt, perſcrutatio, quæ ſcire nihil prodeſt, & nihil aliud homines quam ſcire deſiderant. Hinc artium magicarum peſtifera curioſitas. Hinc Dei ipſius in religione Chriſtianâ tentatio, quâ etiam, vt viri ſancti, experiendi, non conſulendi causâ, ſigna ac prodigia flagitent, ab humani generis hoſte ſuggeritur. Quo genere multiplici machinationum ſuggeſtione Auguſtinus, & ipſe Rex noſter tentatus fuit. quis verò enumeret, in quàm multis etiam contemptibilibus rebus noſtra quotidie tentetur curioſitas, & quàm ſæpe labamur, dum repentè alicuius nouitatis impulſu, ſiue currentis leporis, ſiue ſtellionis muſcas irretientis,

ſiue aliis iſtiuſmodi innumeris aures noſtræ ocul'-ve pulſantur, quæ intentum in ſe animum trahunt? Exigua quidem ſunt iſta; ſed idem prorſus quod in maioribus agitur. Siue enim muſcam curiosè ſpectes, ſiue elephantem, eiuſdem morbi ſunt ſymptomata. Quid quòd etiam in ipſa ſacra hæc irrepit infirmitas, pallio religionis circumdata, dum inuſitatas templorum ſtructuras; ſupplicationum pompas, aliaſque excogitatas nouitates, vel ſpectare curiosè lubet, vel exhibere? Quæ quoniam eò ſolent eſſe gratiores, quò magis inexſpectatæ atque mirabiles, latentem ſub pietatis obtentu hanc ægritudinem produnt. Audiendi porrò di-

cendíque noua pruritus, nonne ſuâ inquietudine, quâ pacatum perturbat animum, ſatis ſupérque, ex quâ fluat venâ, teſtatur? Quid enim ad nos, quid, inquam, ad priuatos homines nullo Regni Prouinciæ-ve adminiſtrandæ officio compeditos, quid geratur in Aſiâ, quid Gallus meditetur, ad quod connubium Polonus adſpiret, quid denique domi atque foris terrâ marique peragatur? Si publico innexus muneri hâc indagandi curâ diſtenditur, non eſt vana ſciendi cupiditas, ſed adminiſtrandi officioſa neceſſitas. Hæc ſiquidem eſt in toto hoc genere Chriſtianæ vitæ regula, vt iſtam experiendi noſcendíque diligentiam non ad pernicioſam vel

ſuperfluam conuertamus curioſitatem, ſed ad neceſſariam rerum approbationem vel improbationem; vt quid in vitâ noſtrâ ex virtute adminiſtrandâ, officióq; quod gerimus, appetendum fugiendúmque ſit, ſcire poſſimus. Quem ſapientis animi limitem ſi pruriente illâ inquietudine tranſilimus, quid mirum, ſi nobis redditi ad ſuauiſſimam illam æternæ veritatis faciem contemplandam, vbi omnium rerum eſt certa & fructuoſa ſcientia, irruentibus in nos copioſæ vanitatis cateruis, quarum cor noſtrum factum eſt receptaculum, deorſum præcipitemur? quaſi diceretur nobis: Quò itis indigni & ſordidi, quò itis? Nempè ſic

in ſolitudine iuſtè luimus, quod in turbâ peccauimus.

Iam verò animo duarum iſtarum cupiditatum debellatione reformato, ex ipsâ vi-
i. Ioan. 2 ctoriâ ſurget tertia, quam *ſuperbiam vitæ* Apoſtolus nuncupat, cæteris omnibus formidoloſior atque fallacior. Vbi enim lætatus homo fuerit ſe ſiue duas iam dictas cupiditates, ſiue etiam ipſam ſuperaſſe ſuperbiam, ex ipsâ lætitiâ caput erigit ac dicit: Ecce ego viuo, quid triumphas? Ante tempus enim de illâ quaſi victâ triumphare delectat, cùm extrema illius vmbra ſolo æternitatis meridie abſorbenda ſit. Pro quâ ſanandâ pluſquàm dici poteſt piæ animæ Deo cum lacrymis & gemitibus ſuppli-

cant, vt ad eam ſuperandam, & quodammodo calcandam & obterendam, dextram laborantibus porrigat. Nam vt veriſſimè dixit Auguſtinus: *Quo primum vitio lapſa eſt anima, hoc vltimum vincit: vltimum eſt enim redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit.* Ineſt enim intimis receſſibus voluntatis humanę appetitus quidam propriæ poteſtatis, quo fit, vt eam delectet ſuiipſius eſſe, nec alteri ſubiici, etiam Deo. Qui appetitus ſi iam non eſſet, nihil in præceptis Dei moleſtum eſſet; & cùm hoc primùm voluit homo, ſine difficultate noluiſſet. Nam in peccando nihil aliud ab eo appetitum eſt, niſi non eſſe ſub alterius dominatione;

Enar. in Pſal. 7. Exp. 1. in Pſal. 17.

quandoquidem illud admiſſum eſt, quod ne admitteretur, ſola debebat iuſſio dominantis attendi. Quæ ſi attenderetur, quid aliud quàm Dei voluntas attenderetur; quid aliud quàm Dei voluntas amaretur; quid aliud quàm Dei voluntas humanæ voluntati præponeretur? Fugax enim animus ab incommutabili Sapientiâ, Veritate, ac Voluntate, cuius dirigentis arbitrio naturaliter ſeruit ac ſubiacet, hoc egit, vt ſuus eſſet, non alterius, ac loco ſupremæ æternæque legis ac voluntatis, ſibi arbitrij ſui quaſi lege ac poteſtate regnaret, non ſequendo rectorem Deum, ſed ſuâ lege ſe gubernando. Quod quantæ ſit contumaciæ atque ſu-

perbiæ, quis non videt? Nec fieri ſanè potuit, vt voluntas propria non grandi ruinæ pondere ſuper hominem caderet, cùm eam voluntati poteſtatíque talis ac tanti ſuperioris extollendo præponeret. Vnde ſecutum eſt ex debitâ iuſtâque pœnâ tale vitium, vt iam moleſtum ſit diuinæ voluntati ſubiici, hoc eſt, obedire iuſtitiæ. Quod vitium niſi adiuuante gratiâ ſuperetur, ad iuſtitiam nemo conuertitur; niſi operante gratia ſanetur, iuſtitiæ pace nemo perfruitur. Quò verò magis atque magis in proficiente minuitur, eò libentiùs cupit alterius eſſe quam ſuus; ac Dei veritate ac voluntate, quàm ſuâ poteſtate regi. Non enim ſanctus quiſ-

que, quantum ei in hâc vitâ datur vt ſanctus ſit, gaudet huiuſmodi propriâ poteſtate, ſed illius potiùs, à quo habet poſſe quicquid congruenter poteſt; donec tandem ad illam futuræ vitæ perueniat animi ſanitatem, vbi nemine ampliùs propriam amante poteſtatem aut voluntatem, poteſtas incommutabilis Veritatis ac Sapientiæ, hoc eſt, Deus ipſe erit omnia in omnibus. Quod antequam eodem Deo largiente fiat, vulnus iſtud vtcúmque obduci poteſt aut detumeſcere, ſanari verò, niſi ineffabili miraculo humillimi atque omnipotentiſſimi Redemptoris, vſquequaque non poteſt. Nimirum ita profundè viſceri-

bus ac medullis intimis inſixum gerimus telum illud Satanicum : *Eritis ſicut dij*. Gen. 3.
Deo namque ſingulariſſimè proprium eſt, & propriiſſimè ſingulare, vt ſui ſit ipſe arbitrij, ſuæ voluntatis, ſuæ poteſtatis ; cuius omnipotenti dominatione, cùm ipſe regatur à nemine, omnia iuſtum ac neceſſe eſt regi. Cuius excellentiſſimæ potentiæ & potentiſſimæ excellentiæ tenebroſam imaginem exprimi illius vulneris prurigine ardentiſſimè fugitiuus animus in peccatis appetit, ſiue delinquat in ſolitudine, ſiue in ſocietate graſſetur : vt etiam ſic, quid primus homo in repudiandâ Dei dominatione appetiuerit, tota poſteritas eius viuendo teſtetur,

Nam vt particula ſtirpis eius Populus ille Romanus terrenam ſuam patriam, hoc eſt, ſeipſos, quia ſeruire videbatur inglorium, dominari verò atque imperare glorioſum, priùs omni ſtudio repudiatâ regum ſuorum dominatione liberam, deinde etiam aliorum dominam eſſe voluerunt: ita totus ille populus humanus, primò quidem excuſſo omnipotentis veritatis ac voluntatis iugo, ſui iuris ſuæque poteſtatis eſſe delectatur; deinde quiſque illorum etiam ſolus, ſi fieri poſſet, eſſe cupit, cui cuncta ſubiecta ſint; peruerſâ videlicet æmulatione omnipotentis Dei, qui *cùm omnibus animis ſolus vtiliter ac ſalubriter præſit, ipſe homo po-*

tiùs(vt aptiſſimè dixit Augu- Libr.83.
ſtinus) *ſibi vel aliis, quibus po-* qq. q.
tuerit, vult eſſe pro Deo, ſuam 79.
*potiùs in ſe vel alios, quam il-
lius in omnes diligens poteſta-
tem.* Ex quo fit, vt omnis ſuperbia, ad quam humanum genus iuſtâ pœnâ damnatum eſt, inſtar Dei ſingularitatem affectet, vt vnus omnibus præſit, ſi alij humilitate vel neceſſitate patiantur; vel certé omnibus emineat, ſi aliâ ſuperbiâ non patiantur. Odit namque cum ſociis æqualitatem ſub Deo, ſed imponere vult ſociis dominationem ſuam pro Deo. *Nihil* Tractat. 43.
enim, inquit idem, *ſic quærit homo, quomodò potentiam.* Cùm verò nulla prorſus in homine ſit maior potentia quàm quæ animo per veras

virtutes inſeritur; hinc fit, vt qui benè didicit, vel expertus eſt vitiorum ſuperandorum gradus, ſine dubio intelligat, hanc peſtem vel ſolam, vel maximè formidabilem eſſe perfectis; ídque tantò periculoſiùs, quantò plura ſibi adeſſe conſcij ſunt, per quæ ad ſibi placendum poſſent abduci. Cùm enim nihil ſit in omnibus creaturis rationali mente præſtantiùs, inde fit conſequens, vt mens bona magis ſibi placeat, magíſque ſeipſa delectet, quàm quælibet alia creatura. Quàm verò periculosè, imò perniciosè ſibi placeat, cùm per hoc tumeſcit typho & morbo inflationis extollitur, quamdiu non videt ſummum illud & in-

commutabile bonum, in cuius comparatione ſe ſpernat, ſibíque illius charitate vileſcat, tantóque ſpiritu eius impleatur, vt id ſibi non ratione ſolâ, ſed æterno quoque amore præponat, multum eſt differendo velle monſtrare. Sapit hæc, qui fatigatus fame ad ſemetipſum reuertitur, dicítque intra ſe *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Luc. 15. Nihil enim ita ſentit in hoc regreſſu ſibi reſiſtere, oſtiúmque paternæ domus in frontem illidere, quàm cùm ſibi placendo turgeſcit ſuperbiâ, & anima ſibi magna videtur, quæ ſana non eſt. Hinc eſt, quòd in ciuitate Dei noſtri, & ciuitati Dei noſtri in hoc ſæculo peregrinanti maximè com-

mendetur humilitas, & in eius Rege omnis reformationis archetypo maximè prædicetur. Hinc eſt, quòd quicquid ſcelerum ab impiis ignoranter ſcienter-ve committitur, vel pœna ſit, vel medicina ſuperbiæ. Nam & ipſum primum hominem in manifeſto apertóque peccato, quo exteriùs factum eſt quod Deus prohibuerat, diabolus non cepiſſet, niſi iam ille ſuperbia ſibi placere cœpiſſet. Hinc enim & delectauit quod eis dictum fuerat:
Gen. 3. *Eritis ſicut dij.* Veriſſimum
Prou. 16 eſt enim illud: *Contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur Spiritus.* Illa prorſus ruina, quæ per ſuperbiam fit in occulto, præcedit ruinam quæ fit in mani-

feſto, dum illa alia ruina non eſſe putatur. Nam propterea Deus illud externum factum prohibuerat, quod cùm eſſet admiſſum, nullâ defendi poſſet, vt ſuperbia ſolet, imaginatione iuſtitiæ; vt ita per humilationem peccati manifeſti, in quod decideret, quàm de ſe falsò inanitérque præſumpſiſſet, addiſceret. Quò fit, vt ſuperbis vtile ſit cadere in aliquod fœdum apertúmque peccatum; vt illâ fœditate ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placendo cecidêre. Nam & ille qui dixerat in abundantiâ ſuâ: *Non mouebor in æternum*, tremendâ illâ medicinâ ad ſanitatem, Deo miſerente, reuocatus eſt. Expertus enim quid mali ſibi intuliſſet ſuperba Pſal. 29

præſumptio propriæ poteſtatis, & quid boni adiutorium gratiæ Dei: *Domine*, inquit, *in voluntate tuâ præſtitiſti decori meo virtutem: Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Nempè ſubtraxerat Deus aliquantulum id vnde ſibi placuerat, vt ſciret non ſuum eſſe, ac diſceret non ſuperbire. Hoc enim agit miſericorditer Deus, quando lapſos gratiæ ſuæ miſeratione reſpicit, vt fractâ animi præſumptione, ſanatóque tumore ſuperbiæ, reſurgatur; dum voluntas, quæ ante experimentum defuit vt ſuſpenderetur ex adiutorio gratiæ Dei, ſaltem poſt experimentum adeſt vt redeatur ad Deum, & humiliùs conſtantiùſque maneatur.

tur. Hinc eſt igitur, quod quiſque noſtrûm, qui Deo etiam humili famulatu ſeruire ſatagit, bonum opus ſuſcipere, agere, implere nunc ſcit, nunc neſcit, nunc delectatur, nunc non delectatur, nunc ardet, nunc friget, vt nouerit non ſuæ facultatis, ſed diuini muneris eſſe quod ſcit, vel delectatur; atque iſtâ tempeſtatum internarum viciſſitudine ab elationis vanitate ſanetur. Hinc eſt, quod Deus ille bonus ideò etiam ſanctis ſuis alicuius operis iuſti aliquando non tribuit vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, vt cognoſcant ac ſentiant, non à ſeipſis ſibi eſſe lumen ac ſuauitatem, quâ terra eorum det fructum ſuum. Hinc eſt,

quòd etiam electos ſuos gemebundo clamore & lacrymis ſanitatem implorantes in aliquibus vitiis tardiùs ſanat, multóſque annos cadere permittit & ſurgere, ne nimiâ facilitate corrupti occultiore longéque periculoſiore peſte corripiantur. Neque enim in eo ipſo vult eos damnabiles eſſe, ſed humiles; nè proſperitatem in omnibus aſſecuti dicant in corde ſuo;

Deuter. 32. *Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Videte, obſecro, quàm exitiale ſit vitium, cui adhibendum eſt tam immane remedium; vt quemadmodum veneno ſolent Medici venena pellere, ita non niſi aliis peccatis peccatum ſuperbiæ comprimatur. Hinc eſt, quòd idem

ille bonus Deus ſtimulum carnis, hoc eſt, immundiſſimam illam carnis concupiſcentiam in ſanctiſſimis voluptatum domitoribus, in ipſis Apoſtolis, in ipſo Apòſtolorum coryphæo etiam ter roгgante, vſque ad mortem non vult extinguere, quia in iſtâ humanâ miſeriâ pejor hoſtis eſt cauenda ſuperbia; vt dum aduerſus illam concupiſcentiam dimicatur, periculorum ſuorum animus recordetur, ne ſecurus inflectur; donec humana fragilitas ad tantam perfectionem perueniat ſanitatis, vbi nulla putredo laſciuiæ, nullus tumor ſuperbiæ formidetur. Quæ profectò diuinitùs magno myſterio olim præfigurata ſunt in Iudæis, dum nonnullæ gen-

tes Cananeæ ad prælium ſuperſtites relictæ, ac pedetentim magnâque cum difficultate ſubiugatæ ſunt. Nempè prudenter ex hoc intelligendum eſt, reſtringere ac temperare Deum, cùm eſt propitius, etiam in cordibus filiorum ſuorum, nimiæ proſperitatis exceſſus, vt in vſum eorum etiam ipſa vitia & peccata conuertat, non ſolùm quando vincuntur & ſubiugantur, ſed etiam quando metuuntur ac perpetrantur; illud ad commendandam largitatem ſuam, hoc ad eorum reprimendam elationem: ne vel adeptæ victoriæ repentinam proſperitatem modeſtè ac ſalubriter ſuſtinere non poſſent, vel adipiſcendæ fiduciam in ſuis viri-

bus collocarent. Experimento enim eis oſtenditur, vnde quod habent habeant, dum ex ſe ſentiunt ſe habere non poſſe quod habere deſiderant, & ſibi fidendo etiam amittere quod habebant. Atque ita fit, vt anima eorum in omnibus non ad ſe reſpiciat, ſed ad eum qui euellit de laqueo pedes eorum. Neque enim ſine magno profundóque Dei conſilio factum eſt, vt etiam iuſtorum vita tot tentationibus plena ſit, tot erroribus cæca, tot laqueis ſuſpecta, tot peccandi periculis anxia, tot difficultatibus preſſa, tot peccatis oppreſſa, quibus neque cauendis vlla ſcientia humana ſufficit, neque induſtria viréſque ſuperandis: vt iuſtiſ-

ſimè Apoſtolus dixerit, quod
Pet. 4. etiam *Iuſtus vix ſaluabitur.*
Et cur, obſecro, etiam iuſtus
vix ſaluabitur? Numquid ſal-
uare iuſtum labor eſt Deo?
numquid ſaluationis noſtræ
facilitati inuidet Deus? Ab-
ſit. Cur ergo tam procliuia ſi-
nit eſſe peccata, laborioſám-
que iuſtitiam, vt præter ea
quæ iam dicta ſunt, ſub per-
petuâ peccatorum remiſſio-
ne etiam iuſtiſſimi viuant?
Scio equidem, quòd ſicut
impoſſibilitas, ita & iniquitas
non eſt apud Deum. Sed ſcio
Iac. 4. etiam, quod Deus *ſuperbis re-
ſiſtit, humilibus autem dat gra-
tiam.* Non enim vt ſpes eua-
dendi, ſed vt alta ceruix præ-
ſumptióq; ſuperbiendi fran-
geretur, iuſtiſſiméque dam-
nata oſtendatur ſuperba na-

cura, non vult facilè de tantis malis nec ipſe omnipotens liberare: vt omni humanarum virium deficiente præſidio, liberantem dominum inquiri cogat, miſerúmque hominem, cuius oſſibus ac medullis inſitum eſt in cauendis vincendíſque peccatis atque operandâ iuſtitiâ de ſeipſo velle confidere, adiutorium diuinæ gratiæ implorare compellat & confiteri. Hoc cum electis ſuis agit Deus beneficiis, hoc ſuppliciis, hoc ignorantiâ ſcientiâque perſuadet; hoc denique tot periculis ac difficultatibus, hoc erroribus peccatíſque, quantum Deo donante capio, ſaluberrimè docetur ac diſcitur: vt neque pro obtinendâ liberatione ſuâ ſacrifi-

cent reti ſuo, neque pro obtentâ ſibiipſis blandiantur, ſed gloriam tribuant liberanti Deo. Deo enim extrinſecus tot terrente difficultatibus, tot lapſibus flagellante, & intrinſecus Spiritu perſuadente percipiunt, peccati victoriam ſibi concedi, quando non ſuperbiunt; & differri difficilémque fieri, ne ſuperbiant; & negari, quia ſuperbiunt. Periculis enim territi, ſub Dei gratiâ ambulant cautiores; luctandi difficultatibus fracti atque turbati Dei gratię inhiant auidiores, peccato victi & proſtrati ad Dei gratiam redeunt humiliores atque doctiores. Sic denique damnatâ in vitandis malis virium ſuarum ſufficientiâ, & in aſſequendis

bonis fiduciâ, & in retinendis perniciosâ ſecuritate, detumeſcit anima, ſanatúrque ſuperbia; vt tandem aliquando *qui gloriatur in Domino* 1. Cor. 1.
glorietur. Quis non in tantæ ſapientiæ laudem erumpat? quis non tam ſollicitæ profuſæque bonitati, vitæ & mortis, profectus atque defectus, totiúſque reformationis ſuæ momenta committat? quæ, cùm nos quaſi repulſos ab eius curâ deſperatóſque gemimus, tum demum eò præſentiore, quò occultiore medicinâ ſuccurrit. Senſit Propheta, ſenſit has admirabiles Dei erga ſalutem noſtram inſidias, quando ſimili luctâ turbatus, tædióque quaſi fatigatus erumperet: *Sed tu Domine vſ-* Pſal. 6.

quequo? Quid eſt, *vſquequo?* interrogat Auguſtinus. *Vſquequo probes,* inquit, *quia ego ſubuenio. Si enim citò ſubuenirem, luctamen non ſentires; ſi luctamen non ſentires, tamquam de tuis viribus ſuperbires, & per iſtam ſuperbiam numquam ad victoriam peruenires. Dictum eſt quidem; Adhuc te loquente, dicam; Ecce adſum: Sed Deus & cùm differt adeſt, & quod differt adeſt, & differendo adeſt; ne præpropcram cùm implet voluntatem, perfectam non impleat ſanitatem.*

August. ſerm. 3. de verb. Apoſtoli, c. 7.

Hoc igitur, O fortiſſimi Athletæ, in reformandis animi veſtri affectibus (de quibus iam diutiùs fortaſſe quàm oportebat loquimur) ſit veſtrum ſolatium, vt ſi vo-

bis à vobiſipſis reſiſti ſubinde ſentiatis, quominùs hoſtem quî cum luctamini, hoc eſt, voſipſos ex voto ſubigatis atque calcetis, nequaquam de diuinâ erga vos beneuolentiâ diffidatis. Nolite proptereà clypeum & haſtam abiicere, ſi etiam vos vulneratos eſſe ſubinde ingemiſcitis: ſed humiliter potiùs præſumite, illam eſſe occultiorem diuinæ prouidentiæ miſericordiam, vt ab aliâ latentiore, magíſque periculosâ peſte ſanemini, vel præſeruemini. Quam ſine lapſibus & peccatis fugare atque perimere, inſolitæ rariſſimæque felicitatis eſt. *Cura* quippe *ſuperbiam*, inquit ille, *& nulla erit iniquitas. Quantò enim ſaniores ſumus à tumore ſuperbiæ,*

Auguſt. tract 25. in Ioan. Libr 8. de Trinit. c 8.

tantò ſumus dilectione pleniores. Dilectio verò ſeu charitas eſt, quæ peccata non facit, quia *non agit perperam:*
1 Cor. 13. & facta delet, *quia operit multitudinem peccatorum.* Quæ
1. Pet. 4. peccata non ante vobis auferenda eſſe ſine vlla fluctuatione exiſtimate, quàm non ſolùm fide, quod omnium catholicorum eſt, vel etiam ſcientiâ, quod eruditorum, ſed intimo quodam cordis affectu ſapiatis, ſentiatis, & experientiâ manibúſque quaſi palpetis, Deum eſſe,
Phil. 2. *qui operatur in vobis & velle & perficere*, neq; vos eſſe ſufficientes cogitare aliquid ex vobis quaſi ex vobis, ſed omnem ſufficientiam veſtram eſſe ex Deo: vt ita abiectâ omni de viribus veſtris fidu-

ciâ ac ſecuritate, laborando atque conando ab eius ſolius miſericordia pendeatis. Cuius auxilio expertâque freti miſericordiâ, qui vos ad ſublime iſtud inſtitutum vocauit, & ſaluberrimæ iſtius externæ internæque reformationis animum inſpirauit, alacriter currite ad brauium ſupernæ vocationis. Nolite timere linguas hominum quodam affectuum potius præjudicio, quàm iudicio contradicentium. Tam ſanctum eſt quod molimini, vt clàm potiùs arroſuri, quàm palàm morſuri ſint, ne ipsâ publicâ luce vobis ſuffragante damnentur. Tantummodò porrò pergite: vincetis eos perſeuerando, qui conantur vincere reſiſtendo.

Tamdiu reſiſtunt, quamdiu ſibi cedi poſſe præſumunt. Si victi fuerint perſeuerantium immotâ conſtantiâ, etiam laudatores vel imitatores habebitis, vbi paſſi fueritis æmulatores. Quâ ſpe ſubnixi ignem illum, qui vos de cælo corripuit, intus alite & accendite; ita fiet, vt omnis ex linguâ hominum, vel pugnâ dæmonum, contradictionis flatus inflammare vos acrius poſſit, non extinguere.

Confortamini igitur in Domino, & vos ad prælium aduerſus aëreas poteſtates, propriáſque cupiditates, accingite. Exuite veterem hominem, & induendo nouum, reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vbi verus omnis diſciplinæ reformatæ eſt ſco-

pus. In quo tam arduo negotio, ne pro humanâ fragilitate flaccefcat animus viſibilium vanitatum ſolatio deſtitutus, totum amorem veſtrum, quem ſæcularibus ſubtraxiſtis, in vnicum illud affectuum veſtrorum centrum, hoc eſt Deum, cui vos dedicaſtis, impendite. Non enim amorem temporalium, quas dixi, rerum expugnabitis, niſi aliqua ſuauitate æternarum. *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* Psal. 33. Cuius amor ac delectatio ſi mentem deſuper inflammauerit, quicquid in vobis moleſtum reſtiterit, velut igne conſumetur; quicquid difficile, etiam cum voluptate ſuperabitur. Nihil eſt enim tam durum ac ferreum, quod

Tamdiu reſiſtunt, quamdiu ſibi cedi poſſe præſumunt. Si victi fuerint perſeuerantium immotâ conſtantiâ, etiam laudatores vel imitatores habebitis, vbi paſſi fueritis æmulatores. Quâ ſpe ſubnixi ignem illum, qui vos de cælo corripuit, intus alite & accendite; ita fiet, vt omnis ex linguâ hominum, vel pugnâ dæmonum, contradictionis flatus inflammare vos acrius poſſit, non extinguere.

Confortamini igitur in Domino, & vos ad prælium aduerſus aëreas poteſtates, propriáſque cupiditates, accingite. Exuite veterem hominem, & induendo nouum, reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vbi verus omnis diſciplinæ reformatæ eſt ſco-

pus. In quo tam arduo negotio, ne pro humanâ fragilitate flacceſcat animus viſibilium vanitatum ſolatio deſtitutus, totum amorem veſtrum, quem ſæcularibus ſubtraxiſtis, in vnicum illud affectuum veſtrorum centrum, hoc eſt Deum, cui vos dedicaſtis, impendite. Non enim amorem temporalium, quas dixi, rerum expugnabitis, niſi aliqua ſuauitate æternarum. *Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* Psal. 33. Cuius amor ac delectatio ſi mentem deſuper inflammauerit, quicquid in vobis moleſtum reſtiterit, velut igne conſumetur; quicquid diffiſile, etiam cum voluptate ſuperabitur. Nihil eſt enim tam durum ac ferreum, quod

non amoris igne vincatur. Quo cùm ſe anima ſurſum rapit in Deum, ſuper omnes externas internáſque difficultates, ipſámque corporis carnificinam, libera volitabit integerrimis pennis, quibus ad Dei ſui complexum amor caſtus & inuictus innititur. Non enim ſunt oneroſi labores amantium, nec amores laborioſi. Nam vbi amatur, non laboratur, vel certè ipſe labor amatur. Aſſurgite igitur in celſitudinem ſplendentis deſuper æternitatis, in certitudinem incommutabilis veritatis, & in torrentem diuinæ dulcedinis, & quicquid vobis ruinoſa ſuperbiæ celſitudo promiſerit, quicquid curioſa experiendi inquietudo ſuggeſſerit, quic-

quid immunda voluptatum carnalium turpitudo blandita fuerit, cum faſtidio præteribitis. Quicquid enim illæ mendicant ex infimis & prę-terlabentibus creaturis, vno illius diuini amoris compendio aſſequemini. Quid enim illæ in temporalibus appetunt, quid ex omnibus venantur & captant, niſi *Excellere*, *Noſſe*, ac *Delectari*? Et quid, obſecro, iſto amore excellentiùs ac ſublimiùs, quo anima, diruptâ rerum creatarum caligine, in æternum ſerenum euolat, ſolíque ſubdita excellendi principio, omnia velut amore ſuo inferiora & indigna contemnit? Quid iſto amore ſcientiùs ac ſapientiùs, quo nihil niſi ipſa æterna Veritas amatur & Sa-

pientia? Quid iſto amore delectabiliùs, quo cordi fons ipſe omnium voluptatum infunditur? Sic tandem fiet in vobis, vt nec excellentia veſtra vereatur ampliùs depreſſionem, nec ſcientia veſtra incurrat errorem, nec voluptas offenſionem. Quod nobis concedat ille, cuius eſſentia eſt æternitas, & ſcientia veritas, & gaudium charitas, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Amen.

FINIS.

Hæc Parænefis Eximij M. N. Cornelij Ianſſenij ex doctrinâ & penè verbis omnium Theologorum Magiſtri S. Auguſtini concinnata, eò quod monſtratis obſtruendis peccatorum fontibus ad ſolidiſsimas virtutes viam ſternat, vtiliter excudetur; vt quod in multis operata eſt dum ab auctore diceretur, in pluribus præſtet dum legetur. Ita cenſeo, hac 13. Nouembr. 1628.

HENRICVS CALENVS,
S. Theol. Licent. Archipreſbyter Bruxell. Librorum Cenſor.